m

cum

re, & Corpus

ns, cum

Evang.

In Fest. Epiph.

com.

seque.

com.

27 Sabb.

[redacted]

10 / 15 c. / 15 -
10

50
50

Angefangen
und nicht fort-
gesetzet

PENU
ERUDITÆ PALLADIS
AD EXSATIANDAM SAPIENTIÆ OREXIM
VIII. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatis,
Dum per
Clarißimum & Admodum Reverendum Dominum,
D. M. STANISLAUM MARKIEWICZ,
Philosophiæ Doctorem & Professorem,
Collegam Minorem, Tylicianum Oratorem,
Curatum Stradoviensem.
In Perausta D. Jagelonis Aula,
Post peractos rigidi examinis labores,
Præsente Hospitum Coronâ.
Artium Liberaliũ & Philosophiæ Baccalaurei
RENVNTIARENTVR.
Ab
ANTONIO, ADAMO BRZYSKI,
Ejusdem Laureæ Candidato,
Clave sinceri affectûs
RESERATUM.
Anno, quo
Navis institoris Panem de longe portans, Domum locupletavit Panis,
1714. Die 20. Mensis 8bris

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS

In Celſiſſimum Stemma SZEMBECIANUM.



Deſinat eſuries Patriæ langvore dolere,
Cum ſit SZEMBECIIS, undiq; fulta ROSIS:
Quarum ſi ſvavi triſtis ſatiatur odore,
Huic certè macies nulla nocere poteſt.
Svavis odor: magnæ virtutes SZEMBECIANÆ
Sunt, Patriæ langvor: bella, fameſq́; gravis.
Conſiliô Magni pellent hæc, viribus atq;
Fortibus; eſt Virtus indita tanta ROSIS.

ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DNO D. CHRISTOPHORO IN SŁUPOW SZEMBEK,

DEI & Sanctæ Sedis Apostolicæ Gratiâ
EPISCOPO CHEŁMENSI,
PRÆPOSITO GENERALI MIECHOVIENSI,
UNIVERSITATIS ZAMOSCENSIS CANCELLARIO &c.
DOMINO MECÆNATI AMPLISSIMO.

NUnquam meliori Penu eruditæ Palladis abundare Cerere, & nostram studentium orexim Pane Scientiæ, suaviùs exsatiare potuit, quàm ad fragrantem ROSARVM *odorem Tuarum,* PRÆSVL ILLVSTRISSIME. *Amicus enim odori appetitus proximus his delectatur lubentiùs ferculis, quæ jucundius spirant odoramentum. Nos felices! cum ex eo alimur Panario, quod fragrantiâ favoris Tui intumuit. Sat sapidis in accepto Pane vescimur dapibus, cui pro condimento odor* ROSARVM *optimo. Egemus minimè opiparis Vitellij lautitijs, displicent nobis mensas onerantia Phasianorum & Pavonum cerebella, non irritant gulam pretioso aromate conditæ Phænicopterorum linguæ, fastidimus Thymnos Tyrios, insuper diviti aromatum non invidemus Persiæ, ubi in Patrio solo talis reperiatur* ROSARVM Vestrarum *fragrantia, quæ Palladis nostræ Panem in varias ciborum efformando portiones reddit opiparum. Quidni* Celsissimæ Domûs Vestræ ROSÆ *flores campestres sunt, ad quorum exsugenda virtutum & morum odoramenta pulchrorum, densa hominum non secùs ac apum confluunt agmina, unde & Superûm Aris accensi splendores, & Patriæ plusquàm Hyblæi consiliorum favi elaborantur. Transplantatas* ROSAS *ex Hierichūtinis Tuas dicerem hortis, nisi illas rigidioribus Aquilonum flatibus aliquando marcere, (quod totum à Tuis alienum est (*

scirem

scirem. Elysios campos similibus adornari crederem faciliùs,
quæ si fide Pòëtarum, quà vere novo, quà maturiori æsta-
te & autumni brumæq; tempore vigeant, Tuis adæquantur.
Hæ in publica lucis Area semper vernant, totq; folia explicant,
in quot Purpuratos Honores, Regum affectus, dignitatumq;
Palmas Sibi & alijs conciliatas, efflorescunt. ROSÆ istæ non
solùm Summi PRINCIPIS *Florum fungi videntur officio, sed*
de facto funguntur, cùm Primum *signantes* PRINCIPEM, *pur-*
purata omnia & potiorem Senatum efficiunt. Quidquid in
Lechæis jugeribus amænitatis cum gloria colligitur, cum RO-
SIS opima solatij messis est. Innui omnibus liberum esse more
apum ad ROSETUM Tuum causâ delibandæ fragrantiæ adi-
tum; explico: Solis tantummodo sive in florente CHRISTI
Vinea, sive in frugiferis Patriæ Stadijs laborantibus ratione
præditis hic est concessus apibus. Fucos in aperto ROSETO
hoc ne quisquam quæsierit, desides enim sunt, quales longè à se
suaviori aurâ arcendo repellit. O quot Scarabei (Hæreti-
corum mentes intelligo) ad ROSETUM hoc, aut toxicô infe-
cti pristinam amisêre vitam, aut totaliter meliore natura in-
duti sunt. ROSAS diutiùs intueri, pulcherrimum à late-
ribus par CAPRARUM obtegit currentium, festinant citiùs,
ut monstrent non tardiori passu quosvis Honores currere in
Domum Tuam debere. Utraq; harum nutrientis Jovem ca-
præ Soror est, cùm eis solos tantùmmodo enutrire Joves,
solenne sit. Ingenuæ Palladis ortus si alicui videtur incre-
dibilis, non mirum; Pòëtarum enim narratio est, sed huc vertat
animum agnoscet Joves SZEMBECIOS felicem Pal-
ladis partum cerebrô incessanter edere; Sapientia etenim insi-
gni, prudentiâ maximos Viros decenti, adeò estis celebres, ut
etiam ultra fines Patriæ audiamini. Sed parcet strictæ ni-
mis pagellæ CELSISSIMA DOMUS Tua PRÆSUL
ILLUSTRISSIME, cùm longissimum Suorum No-
minum Meritorumq; Syllabum, quem venerantur venera-
bunturq; sæcula, non dico ad calculum revocare, sed & in-
nuere nequeat. Imò confunditur ausibus, quod singulas saltim
ex millenis Tuis speculari virtutes aggreditur, & in una Perso-
nata Intelligentia innumeras veneratur Majorum. Quantū
Jagellonæam Palladem replêsti gaudijs, in cujus sinu pretiosum
Juventæ TUÆ monile deposueras, cùm educationi illius cō-
missus, unio præstantissimus extitisti. ROSAS Tuas Regio
admovisti manipulo, inter quas meliùs Augusta splenderet

Purpu-

Purpurā. Ex Fonte Scientiarum hauriens nectareis sitim extinxeras undis, ut plusquàm Cecropiam Patriæ felicior Hortensius propinares Sapientiæ ambrosiam. ROSIS stipatus in Campo Mercurÿ floribus suis ornato, spatiari Tibi placuit, qui rosas & lilia loquentem indueres Patrÿ Senatûs Cyneam. Cursum vel ideo Philosophicum consumasti perfectiùs, ut cunctis errorum & difficultatum, tùm Ecclesiæ, tùm Patriæ insultibus promptior occurreres. Exteris pòst Teipsum intuleras oris, foris monstrando, quæ Patrium solùm Virtutum Tuarum spectabant incrementa, cuncta tamen humili modestia obtegere volueras. Intuebantur Te extraneæ Aquilæ intensiùs, Tuoq; consortio lætabantur intimiùs; Pullum enim verissimum non dissimilis sibi cognoverunt Alitis. Suscepit Te cum jucunditate Latium, permisit ingressum ad sua limina Roma, quam odoramento Virtutum Magnarum, & altioris Sapientiæ verus ROSARUM Hæres plusquàm Sabæo thure honorâsti. In hoc Orbis Capite diutiùs commorari voluisti, ut meliori Sapientiæ infatares cerebrum, unde Patriæ Tuæ omnia nascerentur digna Pallade. Docta illa Lycæa, gratulabantur sibi ex Tui felicitatem præsentia, à qua omnis profectûs in Sapientia odor exibat suavissimus. Ubi placuit Tibi Divorum Aras cultu debito venerari frequentius, ad quorum sacros Cineres convertendo oculos, minutissimam Te existimabas athomum. Tædio laborabat Patria, laborabat non minùs Vavellus Gracius, absq; CHRISTOPHORI consortio, quare annuens eorū desiderÿs, Italiâ, Galliâ, Germaniâ relictis, huc invitatus gressum movisti. Revoco errorem calami, absentem solùmmodo vultu & Indole ibi fecisti Te, sed meritorum præsentem memoriâ studiorum dulci illæ tenebant oræ, & hucusq; tenent Superstitem. Submisit ad adventum Tanti Hospitis Vavellus verticem, salutavit nomine & moribus CHRISTUM ferentem, Coronisq; proprÿs ROSAS Tuas innexuit. Hoc in elevato monte quiescentem Te, toties solliciti altiores adibant Honores, supplicesq; sui muneris Antesignanum expetebant, quorum alios spe sua frustratos dimisisti, alios pulsantes ad ostium Tuum per testes præsentis absentiæ sæpè sæpius humilior elusisti. Adfuit & importunus modestiæ Tuæ arcanorum Regiorum tenax Hospes Honor, qui non Tuos dimisit Postes, donec admiseris eum in aliorum gremium. Supremus enim Regni SECRETARIUS factus cuncta sub ROSA tenebas, prudentissimus. Ast rupit silentium Tuum officium, cùm Sarmatici Areopagi Iudex clario

clariori voce ea propalasti, quibus omni tempore Astræa delectatur. Tot meritis clarus, honoribusq; eminens, ut clarior Orbi Lechico & Ecclesiæ appareres, Laureâ Caput præcingi Tuum Theologicâ consensisti. Felix Academi nostri Viridarium, ex quo Laurus ROSIS Tuis conjungi dignæ fuerint. Undè dedêre plausum Laureato Capiti Tuo Academici Ordines, dedêre & sacri Conventûs Miechoviensis CRVCES, hi, novo Doctori & Protectori suo laudum immolabant Hecatomben, illæ laureatum PRÆPOSITVM suum adorabant cernuæ. Quærebat uno viduata Pastore alium Diœcesis Chelmensis, nullibiq; tantùm in Domo Tua Præsulea deponere cupiebat Insignia, eò existimans se feliciorem, quò pulchriori Flore & Laureis sua gestiret Tyarâ. Invenit Te magna cum lætitia CHRISTOPHORVM Talem, Quem si ad eminentiores non liceret mittere in posterum Cathedras; perpetuas Superis ageret grates; Pastorem enim Clementissimum, Protectorem Acerrimum, Patrem sui amantissimum Te universa agnoscendo Diœcesis, veneratur. Non capiebat gaudia sua ad felicissimum Pontificatûs Tui Ingressum Zamoscensis Universitas, utq; Cancellarium suum faventissimum debita veneraretur salutatione, Culmini ROSIS coronato Honoris Præsulei, se humillimam submisit. Pagina angusta erubescit, cùm Te ulteriori sequi non valeat umbra, non ignara quòd præstantissimi etiam Apellis prius deessent tabulæ, absumerentur colores, nec prima tamen lineamenta Gloriæ Tuæ depingerent. Itaq; taciti venerando in Te Caput Senatûs Primum, ac Celsissimum; *Paphensem, cæterasq; Nominis Vestri Tyaras, adorando alios Magnos Patriæ Senatores ima cum submissione, precamur; ut Eminentissimos, Illustrissimis Illustriores longissima annorum serie & canitie florentes, videas. Faxint Superi ut & Te talem intueamur avidissimi, cujus Laureas nostras ROSIS substernimus, Nosq; in perpetuum obligatos Tibi PRÆSUL* Illustrissime *pro favoris condimento Palladiani Panis, reddimus. Insuper quousq; Panis alimentô vita nostra sustenitabitur, eòusq; vovebimus, ut amplissimis ampliores Honores, Fortuna suo favorum comitatu locupletissima, Tuis invigilent postibus; benignioresq; Cæli Te gratiarum suarum quàm diutissimè exsatient alimoniâ. Quod Nomine Concandidatorum suorum vovet*

ILLVSTRISSIMI NOMINIS TVI

humillimus cultor & cliens.

ANTONIUS BRZYSKI,

Primæ Laureæ Candidatus.

In Templis quoties verba facis Sacra,
Auditor toties dogmata percipit.
Tu Stoæq; bonus semper ades Sophus,
Tu virtute places, Tuq; modestiâ
Cunctis. Vnde diu vivite, vivite
Patroni, solidus quos labor efficit
Matura saturos messe Scientiæ,
De qua sumpsimus, & macte refecimus
Imbelles animos. Numina poscimus,
Vos amplis faciant crescere honoribus
Dent longum meritis tempus, & optima
Dignos sorte beent. Numina poscimus.

PENU
ERUDITÆ PALLADIS.
I. V. D. JOSEPHO KRAUZ, Crac.

Attolaganum genus Panis ex simila, vino, & oleo facti, quod olim in magnis habebatur delicijs, à Pallade offertur.

CUM LEMMATE.

Pingvis & utilis.

CAstalides celsos Parnassi linquite montes,
Vobiscum properet citharæ Pulsator Apollo
Huc, ubi post multos sudores præmia proni
Poscimus; ornetis vos Nostrûm Fronde virenti
Tempora; & applaudens semoto Cynthius arcu,
Dulcisona reddat placidos testudine cantus.
Annuit Aonij votis jam Turba novenna,
Annuit atq; jubet: confestim Pindus honores
Det fessis. Igitur celso de culmine prima
Missa, Tuam frontem circumdat Laurea, cujus
Et studia, & virtus supremo sunt Iove digna.
Gloria si nostri fuerat sceptri MODERATOR,
Gloria summa Tibi dilectus Avunculus Hector,

Ipse Decus melius, Quô clares. Eminet in Te
Præstans melliflui Ciceronis gloria lingvæ,
Eminet atque Sophi prudentis munus honestum;
Pallas Docta Tuam mentis satiavit orexim,
Nec cessat solidæ hanc Doctrinæ pane cibare,
Vtilis hic panis, Te longos servet in annos
Incolumem, largos post det Tibi Pallas honores.

II. V. D. JACOBO de Gorkow GORKOWSKI.

Colyphium Panis, qui olim certantibus in Martis arena offerebatur post prælia.

CUM LEMMATE.

Fortes post prælia reddit.

NOn Getici tantùm celebrantur prælia Martis,
Nec nisi Bellonæ ferrea bella vigent;
Sæpius hac ducit pugnax Tritonia Pallas
Arma, virosq́, potens, censet habere bonos.
Illa suis meliùs succendit pectus ad arma
Athletis, citiùs munere quos reficit
Non etiam Doctæ (tribuit quæ) præmia desunt,
His reficit vires; & meliora facit
Pectora certandi. *Quod monstrat Largior in Te*
Post rigidam pugnam, cùm Tibi dat sapidum
Panem, tum viridi præcingit tempora vittâ
Sæpius ut pugnes; victor ovans redeas,
Ex acie docta semper. Cui dexter adesse
Svevisti, Sophicis dans operam studijs.
Tullius atq́, placet Tibi, verbis hunc imitaris,
Quod signat totum ex fronde corona data.
Nobilibus Cæris radias, Patruiq́, decore,
Quem virtus summis æquat honore Viris,
In Te Majorum probitas; meritumq́, refulget
In Patriam: quem ornet Gorkoviana *Domus.*

III. V. D. ANDREÆ de Bedon BEDONSKI.

Dipyrites Panis delicatus, sic ab Hyppocrate dictus, qui vires robustas reddere existimabatur, bisq́, coctus fuiße, traditur.

CUM

CUM LEMMATE.

Bis meliùs reficit.

JAm nunc avarus desinat horrea
Laudare, opimâ fruge tumentia,
Et cesset amens gloriari
Immodicis Cereris benignæ
Donis. Locuples nostraq; dicitur
Minerva Panis, sed sapientiæ,
Hôc vescitur qui, fortis exstat,
Bis meliusve refectus illô.
Stat semper audens victor in arduis.
Censeris & Tu non aliùs, Genus
Cujus vetustâ à stirpe ductum;
Vnde favens meliore pane
Pallas cibat Te; Cum benè fortia
Pugnando vincis monstra scientiæ,
Doctè resolvens arduum omne,
Tu quoties Sophicos tumultus
Sopis. Perorans eloquio vales,
Virtute magna pulchrior emines.
Proinde Pallas præmians Te,
Laurigerum Tibi dat Corymbum.

V. V. D. JOANNI JACKOWSKI, Crac.

Encryphia subcinericius Panis in Saturnalibus praberi solitus.

CUM LEMMATE.

Jucundus tempore læto.

FEsta decurrunt, quibus Alma praeest
Pallas, & psallens Citharædus addit,
His decus magnum, celebremq; plausum
Donat Apollo.
Turba circumstans Heliconis alti,
Ternio gaudet Charitùm decentùm
Ad chelym ducunt placidas choreas,
Undiq; plausus.
Nam dies venit Sacer, & serenus,

Melleis mensæ dapibus gravantur,
Candidatis ac tribuit Coronas,
Pallas amana:
Quaîs refectus Tu; recipis comantem
In caput Laurum, genio perite
Perspicaci, tùm meritis locuples
In stadio omni.
Te recommendat probitas amanda,
Teq; prudentem Iuvenem remonstrat
Norma morum, qui placidum ac modestum
Te, benè signant.

VI. V. D. ANTONIO ZAREMBA.

Cribanites Panis, quē Galenus omnibus præfert sanitati utilibus.

CVM LEMMATE.

Sanat hic ac reficit.

PHarmaca non novit, fit sanus, neque vigorem
Perdit salutis, semper est
Viribus incolumis.
Mentis, Palladius cujus satiavit orexim
Iucundus & dulcis cibus.
Sanat hic, ac reficit.
Insuperis reddit firmos, meritiq; capaces
Cunctos virorum, muneris,
Palladis ingenuæ.
Optima nunc ex Te noscuntur sat documenta
Hujus; refectum talibus
Iam sapidis dapibus
Cùm teneris Minerva sagax Te frondibus ornat,
Plenum, honestis moribus,
Magnanimo genio.
Artibus ingenuis robustus præmia sume,
Dignus perenni gloriâ,
Vive diu celebris.

VII. V. D. FRANCISCO MILLER.

Blema, candidus & pulcherrimæ figuræ subactus Panis offertur.

CVM LEMMATE.

Can-

Candidus innocuo.

CErtè conveniunt sua,
Magnis præmia dotibus;
Cùm dignis meritis datur
Merces, quæ pretio valet.
Sic Minerva facit sacra;
Nam semper tribuit bona
Dignis muneras candidos
Replet candidioribus
Donis. Quod patet in Tua
Fortunæ placidæ, vice.
Cùm prudens saturat prius,
Te Panis dapibus DEA
Pulchris. Postea frondibus
Præcingit teneris caput:
Ad multas quod idoneum,
Artes, atq; Scientias.
In Te pulchrius eminent
Magnæ mentis acumina.
Et facundia Te suum
Cultorem cupit & Schola
Stoæ Discipulum, libens.
Nec non justa Themis Sacro
Adsciscit gremio Tuam
Mentem, quâ colis Optimam.
Ergo jam meritò caput
Lauro subdis Apollinis:
Pòst constans melioribus
Te Virtus precor, intimus:
Semper donet honoribus.

VIII. V. D. LAURENTIO JANITOWSKI.

Glycinas Panis ex passo & melle olim à Cretensibus adinventus.

CUM LEMMATE.

Dulcis & utilis.

INtrare celsam Pieridum Domum,
Aut limen Almum tangere Apollinis

In Superûm spatiosa tecta.
Quem rexit alti judicij sagax
Mens, & Deorum quem favor intimus
Largis refecit sæpe donis
Et Studij, & probitatis omnis.
His Te refectum Numine prospero
Donis videmus, macte Scientiæ
Cùm Musa quævis Te suorum
Penè facit cupidum bonorum;
Parnassus altus cui colitur bene,
Et dulcè currunt flumina Tullij,
Nec non Sophorum turba docta,
Vraniæ quoq; das laborem
Cæli. Vnde subdas tempora frondibus
Sacris, reportes pro meritis Tuis
Insigne munus. Qui polorum
Astriferos agitabis Orbes.

IV. V. D. ANTONIO BRZYSKI.
Primæ Laureæ Candidato,
AUTHORI OPERIS,
A
JOSEPHO KRAUZ,
Ejusdem Laureæ Candidato,
In vim mutuæ Gratulationis,

Pyramides, panis dulcis fuerat qui in pervigilijs dabatur quasi præmium ijs qui tota nocte insomnes excubassent offertur.

CVM LEMMATE.

Insomnis fortior isto.

ATtica Pyramidum Vates miracula pandis,
Dulcisona ludens alter Apollo Chely.
Carmine qui plaudens nostras Laurus monumentis
Consignas doctis, atq; virere facis.
Aonios latices fundenti Heliconia mella,
Musa dabit quænam præmia digna Tibi?

Indolis

Indolis egregiæ referens dotes generosas,
Pyramis ut surgat, pectora cogit amor.
Qui curâ vigili assiduoq; labore paratur,
Dulcis virtuti panis honoris adest.
Pyramis inde Tibi **BRZYSKI** componitur alta
Stabit opus genij mole perenne Tui,
Vernans nectareo facundia regnat in ore,
Vim prompti ingenij laude Camæna colit.
Moribus ingenuis præstansq; modestia formæ
Pingitur, & pulchra mens bona fronte nitet,
ZAMOSCII fulgens censeris gemma Lycæi
Vnio sic CRACII gloria summa, decus.
Quem fovet Alma Parens Doctorum concipit & spem
Ex Te surget, ei tempore major honos.



SUB FELICISSIMIS AUSPICIJS.

Magnifici, Perillustris, & Reverendissimi Domini,

D. M. MARTINI WĘGRZYNOWICZ,

S. Theologiæ & Juris U. Doctoris & Professoris, PROTONOTARIJ Apostolici, Ecclesiarum, Cathedralis Cracovien: CANONICI, Collegiatarum, Kielcensis CUSTODIS, Pilecensis ARCHIDIACONI, in Tczycá PRÆPOSITI, Contubernij Philosophorum PROVISORIS, S. R. M. SECRETARIJ, Almæ Universitatis Cracoviensis, GENERALIS ac VIGILANTISSIMI

RECTORIS.





Lect. 1, Noct. de
fer. *Duæ Miss.* C.
com. præc. & fer.

M A J U S.

17 Sabb: Monicæ Vid. &c. Vesp. de sequ. com. Domin. & præced.

18 Domin. 5. post Pasch. Erici Reg Mart. dupl. 9. lect. & com. Domin. CR. Credo dic. Vesp. Cap. de sequ. com. præc. item Domin. & S. ... ent. Virg.

J U N I U S.

19 v. Octava SS. Corporis Chr. In Vesp. com. sequ. & S. Silverij P. M.

20 vj. Æschili Ep. Mart. dupl. (*fuit 12. huius*) 9. lect. & com. S. Mart. CR. In Vesp. com. sequ.

21 Sabb. Ubaldi Ep. Conf. semid. (*fuit 16. Maij*) ℣. *in hym mut.* CA. Vesp. *ut in ordinar.*

22 Domin: 3. Dedicat. &c. In Vesp. com. Domin. & sequ.

23 ij. *Extra Crac. Vigilia,* Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maij*) 9. lect. & com. Vigil. *Duæ Miss.* CR. & Viol. Vesp. de sequ. *sine comm.*

J U L I U S.

6 Domin. 5. in. 5. post Pent. Octava SS. Apost. In Vesp. com. com. Dom. & sequ.

7 ij. *Crac.* Vena. Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maij*) CR. Vesp. à Cap. à Cap. de sequ. com. præc. *Extra Crac.* Mariæ Mariæ Magd. de Paz. Virg. semid. (*fuit 25. Maij.*) CA. CA. Vesp. *ut supra.*
iv. *Crac.* Mariæ Mariæ Magd. de Paz. Virg. semid. *25. Maij.*) ... CA. Vesp. à Cap. ...

SS. Mart